

Dissertatio inauguralis medica de transpiratione insensibili / [Johann Jodokus Kück].

Contributors

Kück, Johann Jodokus.
Kniphof, Johann Hieronymus, 1704-1763.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Jo. Christoph. Heringii, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xs4xyq9f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA

13

DE
**TRANSPIRATIONE
INSENSIBILI,**

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO,
ET

GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSU
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
SUB PRAESIDIO

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII,

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL.
FAC. MED. ASSESS. ORD.
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLL.

PRO GRADV DOCTORIS
AC PRIVILEGIIS IN ARTE MEDICA MORE
MAIORVM LEGITIME IMPETRANDIS,
PVBLICE DEFENDET


AVCTOR

JOANNES JODOCUS KÜCKIUS,
BIBERACO-SUEVUS.

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCXLVIII. D. XIV. OCTOBR.

ERFORDIAE

TYPI^S JO. CHRISTOPH. HERINGII ACAD. TYPOGR.





PROOEMIVM.

 d sanitatem conservandam, morbosque avertendos, quid, B.L. transpiratio faciat, in arte medica extra omnem dubitationis aleam positum est dogma. Hac enim subtilissimi & facile noxam inferentes quotidie corpore nostro proscribuntur humores. In superrandis morbis quantæ utilitatis sit hæc excretio, res pariter est notissima ; adeo, ut morbi maligni, imo pestilens miasma per illam eliminari ac superari possint. Quamvis vero id sua radiet luce ; attamen, nescio quo fato, fit, ut vulgus

ejusque consimiles huius primariæ excretionis parvam, imo sæpe nullam habeant rationem. Alvus quando officium suum non recte facit, ultro segnitiem eius apud medicos accusant, & sic de reliquis excretionibus, verum de transpiratione verbum fit nullum. Et quotus quisque est, quem lateat, suppressam transpirationem plebejos inter homines sæpe numero magnas edere strages. Alii, qui vitæ sedentariæ adscripti sunt, ex ejus neglectu frequenter, valde ac diu morbis laborant. Quid? quod inter medicos inveniuntur nonnulli, qui vel in praxi clinica exercenda, vel in casibus consignandis, non satis ad illam attendunt; eo ipso autem incuriæ suæ damno afficiuntur. Quæ cum ita sint, ratione non destitutus videor, qui in exhibendo specimine inaugurali, hanc materiam mihi sumferim pertractandam. Faxit Deus, ut in magni sui nominis gloriam, proximi, meamque utilitatem hic labor atque cuncta conamina mea cedant. Tibi vero, B. L. quævis fausta appreco, & me meosque labores favori tuo commendo.

TOTIVS TRACTATIONIS SYNOPSIS.

Definitio §. I. exhibetur. Differentia §. II. enumeratur. Existentiam ejus §. III. docet. Materiam perspirabilem §. IV. prodit. §. V. quantitatem & VI. ejusdem locum ostendentibus. Vasa insensibilis perspirationis §. VII. & modum, quo conficiatur §. VIII. declarant. Causae hanc excretionem promoventes §. IX.-XI. in medium afferuntur. §. XII. Uſus indicatur. §§. XIII. XIV. Causas istam turbantes sifunt. §. XV. de vitiis & transpirationis signis agit. §§. XVI. & XVII. exturbata transpiratione orientes morbos enarrant. §§. XVIII. XIX. necessariam therapiam docent, & denique §. XX. citatis quibusdam scriptis, tractationem claudit.

§. I.

Insensibilis transpiratio est seri halituosi per poros *Definitio* corporis in sensus non incurrens excretio.

Schol. Medicis etiam sanctoriana haec dicitur perspiratio; quoniam Sanctorius indefesso labore integros triginta annos in hanc excretionem inquisivit, & experimenta sua parvo quidem, sed utilissimo de hac perspiratione tractatu sub med. staticæ titulo, cum orbe literato communicavit.

§. II.

Cum diapnoë seu vapor auctior transpirationis gradus sit, qua corporis humida redditur peripheria; & *Differentia* diaphoresis seu sudatio adeo augeat perspirationem, ut se- & *diapnoë* rum per poros prorumpens in guttas concrecat, utraque res. igitur sensibilis sit; ne quis has cum illa confundat, nemo non habet.

§. III.

Demonstra-
tio existen-
tia ejus.

Licet perspiratio sanctoriana oculis aperte percipi non possit, tamen nares notabiliter ferit, in primis si atmosphæræ laboriosorum hominum appropinquamus. Metalla & vitra ab attactu nostro, quasi nebula obscurantur. Si brachium, phialæ chemicæ inserimus, vapor exhalans ad latera vitri in guttas colligitur. Tempore hyemali a gelu condensata sæpe visibilis redditur animalium perspiratio. Demonstrationis loco etiam esse possunt SANCTORII, KEILII in *tentamine physiologicæ*, aliorumque de re medica meritissimorum virorum experimenta. Quid primus observaverit, nunc modo in medium adducam: inibat pondus proprii corporis CXX. librarum, altero die eadem hora erat denuo CXX. librarum, cibus & potus libras VIII. appendebant, quorum unciæ IV. per alvum egerebantur, XVI. in matulam descendebant & XXXX. ad minimum per transpirationem in auras avolabant. Ex quo & consimilibus experimentis facile rationem inire possumus, perspirationem insensibilem inter non-entia non referendam, sed palmariam animalium esse excretionem.

Schol. Cel. HALLERVIS in commentat. ad §.
CCCCXXVI. Instit. BOERHAAV. jucundam de hac
re consignavit observationem, dicens: In India
perpetuus calor est, neque unquam exhalatio sub
oculos venit: & si aliquando Indi, superata Ae-
quatoris linea, in frigidorem Zonam pervenerint,
mirantur, se, quasi intus ignem alerent, fumivo-
mos factos esse.

§. IV.

§. IV.

Materia, quæ per transpirationem hanc evacuat, est serum subtile, aquosum, halituosum, particulis *De materia* salinis sulphureisque imprægnatum, quod experimen- *perspiratio-*
ta §. III. allata nos docent. Serum hoc halituosum u- *nis invisi-*
tiles pariter atque inutiles humores in corpore nostro *bilis.*
comitatur, in itinere vero sensim illos deserens, qua-
qua versum aufugiendo, exhalat. Interdum ejus odor
de assumtis testatur, sic e. g. allii, ceparum, potulento-
rum odorem spargit. Non autem perspirationis a cibis
potuque materia immediate sumitur omnis; vero po-
tius simile est, partem longe majorem liquidi perspira-
bilis humanam fuisse ex coctissimis atque defæcatissi-
mis humoribus natam: hinc canes odore dominos ex
paucissima materia exhalante distinguunt.

§. V.

Perpetua quia hæc est excretio, magna per illam *Quantitas* seri inutilis portio evacuatur. SANCTOR. *in Med. Stat. s. I.* *transpira-*
aph. 6. inquit: si cibus & potus unius diei sit VIII. libra-*tionis bujus.*
rum ponderis, perspiratio insensibilis ascendere solet ad
quinque libras. Interim tamen simul observandum,
hoc ad frigidas regiones non promiscue posse applica-
ri. Ratione quantitatis hujus excretionis sequentia ad-
huc notatu sunt digna: primo multa perspiratio soli-
toque major sensibilis evacuatio non possunt simul sta-
re; quo magis enim sensibiliter quis evacuat, eo minus
perspirat. Dein plus intra nychthemerum levi motu
transpiratur, quam si ad sudorem usque motu usus fue-
ris. Nam post sudorem, quiete interveniente, minus
perspirabitur ob subsequens frigus; perspiratione vero
manet

manet corpus in atmosphæra calente, atque perspirare perget. Tertio, statim à pastu, & diu post eundem, perspiratio est minima: nam illo tempore chylus adhuc turbidus, nondum attenuatus, totam naturæ vim in se ipsum convertit, isto etiam tempore vasa majora turgent & minora comprimunt. Motus enim particularum ignearum dirigitur versus eum locum, ubi minor caloris gradus deprehenditur, qui casus eo tempore, quo in ventriculo cibus ac potus concoctionem subit, habet locum. Si vero calor magis versus interiora tendit, sequitur, ut peripheria corporis minorem ejus accipiat gradum, vasa exteriora magis contrahantur, interioribus dilatatis, sanguis autem ob minorem resistentiam versus interiora vergat: Quo fit, ut propter talem peripheriæ strictroram transpiratio impediatur. Sanctiorii experimenta ostendunt, tribus a pastu horis vix ultra xij. uncias perspirari, cum intra v. vel vj. horas, quæ has proxime sequuntur, corpus duas libras ponderis sui perdat; tunc enim chylus subactus est, hora vero duodecima in serum conversus, quod vel ipsum exhalare potest, vel liquidorum exhalantium locum occupare. Perspiratione diu jam continuata, ejus materia, adeoque illa ipsa imminuitur. Postea notamus, transpiratione hyemali æstivam longe esse majorem, & diurnam nocturnæ sesqui alteram. Porro calore, motu atque exercitio uncias ij- iiiij. unius horæ spatio expelli, dum tempore quietis unica emissis vix abeat. Ad hæc maximam hanc esse excretionem, alias fæces superantem. Denique in salubri

bri corporis statu omnium egestorum summam omnium ingestorum summæ esse æqualem.

Schol. Corpore rigidiore quæ^{rum} prædita sunt animalia e. g. Rhinoceros, elephas &c. exigua gaudent perspiratione, sed uberrimas sensibiles habent per alvum ac urinam evacuationes.

§. VI.

Seri hujus exhalatio fit tota epidermide externa, *Locus pertum & cuticula oris, faucium, narium, laryngis, œso-phagi, pulmonum, ventriculi, intestinorum canalis, vesicæ, uteri*: adeoque non solum tota corporis superficies perspirat, nisi aliqua major cicatrix, post consumtam adiposam membranam, sit impedimento, verum etiam in omni corporis cavitate, visceribus & vesiculis seminalibus perspiratio habet locum.

§. VII.

Organa perspirationis hujus quod attinet, glandulas *Vasa transcutaneas miliares multi cuin STEMENONE & MALPIGHIO statuere* non dubitaverunt; quoniam canon ille: ubi secretio, ibi glandula, plurimorum animum insensibili nebat. Has glandulas autem recentiores in dubium vocant, quoniam cute a subiecta pinguedine rite separata, nullæ glandulæ in conspectum prodirent. Corpuscula quoque sphæroidea variis in locis conspicienda e. g. in palpebris, nafo, auribus, sub axillis, in cute pudendorum &c. non tam pro veris glandulis, quam pro duotulis excretoriis habere volunt. Poros per universum corpus pro organis hujus secretionis potius agnoscunt, intestinis præter ea aliisque partibus plurimis

B

talem

talem structuram habentibus, ut resolutis humorum particulis liberum transitum concedere possint. De his vasculis exhalantibus LEEUWENHOECKIUS refert: centum & viginti quinque millia in vulgaris grani sambuli spatio sub squamulis epidermidis oblique hiare. De organis his excretoriis verba Cel. HALLERI, volum. III. prælect. acad. BOERHAAV. §. CCCCXXIV. pag. 564. occurrentia, audire, operæ pretium est: nihil interest, inquit, num glandulas miliares appelles, secutus Malpighium, num, folliculorum nomine aptius uti posse, existimes. In ipsis certe partibus corporis humani, Ruyshiana manu præparatis, horum folliculorum naturam rectius didicit Bœrhaave; distinxit arteriolas & venulas, quæ membranam cryptæ adeunt & cavitatem, nec non emissarium, hac cavea quidem longe angustius, quod tamen vel ex ipsa humoris excretione necessario demonstratur. RUYSHIUS hæc emissaria pro extremis vasis sudoriferis habet. Interim tamen, eodem teste Cel. HALLERO, fatetur Bœrhaave, majorem sudoris partem per vasa excerni in rectum producta, minorem vero in folliculis parari. Dantur insuper vascula exhalantia, de quibus supra jam Leeuwenhoeckium citavimus, sub squamulis epidermidis. Sunt vero hæc squamulæ fines inflexi atque recurvi extremitatum vasorum excretiorum, ex quibus continua humor subtilissimus ex omni corporis punto exhalat. Hæc igitur vascula sunt propria perspiracionis sanctorianæ instrumenta. *vid. infra §. XIV. n. IV.*

Schol. I. Præter vascula exhalantia in corpore nostro quoque inhalantia reperiuntur, de quorum autem usu

usu nunc differendi non est locus, sufficiat illorum
hac occasione mentionem fecisse. Conf. BOERHAA-
VE *instit. med. §. CCCXXI.*

Schol. II. Per vesiculas pulmonales seri pars satis no-
tabilis exhalare solet. SANCTOR. *med. stat. sed. I.*
aphor. 5. testatur, humiditatem serosam, inter re-
spirandum per fauces & os exhalantem, uno die
semilibram pondere æquare; quod ex guttis spe-
culo ori admoto adhærentibus collegit.

§. VIII.

Ad secretionem hanc faciunt:

I. Vasorum secernentium legitima capacitas atque den- *Ratio, que*
sitas: constat enim ex principiis physicis, unum *conficiatur*
idemque fluidum corporibus solidis, specifice gra- *perspiratio,*
vioribus, diversæ densitatis, diversa adhærere vi;
ita quidem, ut quo magis gravitas fluidi specifice
levioris accedat ad gravitatem specificam solidi,
eo major sit adhæsio. Quoniam autem fluidum
hoc secernendum subtilissimum est, vasa tenerri-
ma atque perangusta ad hanc secretionem requi-
runtur; ut crassioribus humoribus aditus præ-
cludatur.

II. Humorum debita resolutio, quæ fit tam per mo-
tum progressivum, quam intestinum: nam nisi
sint satis subtiles ac proportionati, vasculis ex-
halantibus adhærere, eaque pertransire non possunt.

III. Materiæ perspirabilis ad latera vasculorum ex-
halantium adhæsio: humore enim in vasa mini-
ma delato, omnes propemodum particulæ fluidi

vasorum parietes contingunt; unde specifice leviores itemque æquales adhærent, specifice graviores minus. Major tamen est adhæsio specifice æqualium quam leviorum, quæ tamen, si sunt exiguae, itidem adhærent, & ex adhæsione in vasa secernentia penetrant, quia vero specifice æqualium major est adhæsio, specifice leviores non statim intrare possunt, sed magna eorum pars, propter motum humorum progressivum, prætervehitur.

III. A tergo urgens impulsus: adhæsio enim quemadmodum introitum fluidi in vasa capillaria producendo par est, sic etiam ejusdem motum in istis vasis retardat, nisi adhæsione major causa impellens: in cordis itaque atque arteriarum impietu causa motus progressivi, ad excretionem nostram necessarii, est quærenda.

V. Partes vicinæ commotæ, quæ etiam non parum motum fluidi secernendi promovent.

VI. Figura vasorum cylindrica, cum angulo, quem vasa secernentia, cum eo, ex quo fit secretio, includunt; hæc enim etiam in secretione consideranda esse, ex principiis physicis patet.

§. IX.

*Cause ad
banc excretionem facientes, respectu ipsius corporis nostri.* Ratione corporis nostri in causarum numerum veniunt omnia illa, quæ de modo, quo peragitur, §. præcedente, dicta sunt: viscera enim nostra, vasa & fibræ sanguinis circulationi & perspirationis negotio inferiunt. Hinc subiecta robusta & visceribus integris gaudentia, bene perspirare solent. Juvenum humores, pori atque viscera etiam ad hoc negotium subeundum aptiora

aptiora sunt quam senum. Eandem ob rationem temperamentorum quoque hic habenda est ratio, inter quæ sanguineum optime transpirationis officio fungitur.

§. X.

Ex rebus non-naturalibus huc referimus

*Causæ ex**rebus non**naturalibus**desumptæ.*

I. Gratos animi affectus, e. g. moderatam lætitiam.

II. Aërem siccum, gravem, moderate calidum. Ergo hic simul ad regionem, in qua quis degit, respectum habemus. In frigido-sicco aëre, accedente motu fortiori, tantum bene perspiramus.

III. Motum corporis moderatum ad primum levissimi sudoris initium. e. g. per deambulationem, vectionem in equo, rheda &c.

IV. Potum spirituosum, diætam aromaticam, viatum solidum, levem, fermentatum, non pinguem. Sic v. c. gallinarum, palumbum, veruecum & alia caro macra, assata magis quam elixa, panis solidus, biscoctus, additis in primis suo loco cepis, alio, aliisque hujusmodi condimentis, cito digeruntur atque perspirationem adjuvant.

V. Somnum VII. vel VIII. horarum, bene testo corpore. De hoc Cel. HALLERV S ad §. CCCCXXXIII. instit. BOERHAAVII sequentia letu digna profert: Per somnum & motum moderatum humor æquabiliter in arterias & venas distribuitur, cum in vigilia perpetuo inæqualis sit, & vel in arterias magis congeratur, quando corpus motu exercetur; vel in venas, quando idem quiescit: sic modicus motus inter quietem & violentum exercitium vere medius est. Somno a-

Etiones animales languent, vitales & naturales roborantur; perfectior est liquidorum circulatio, & vires vitae ad humores recens advenas melius applicantur, citius attenuantur iidem, & omnia vasa sunt quam liberrima.

Schol. De aëre frigido in §. diximus, & illum accedente motu fortiori, perspirationem promovere, id quod per experientiam satis liquet. Vulgo enim notissimum est, eundo corpus nostrum in calore & transpiratione posse conservari, cœlo etiam admodum frigido. Idem testantur, qui super glaciem calceis chalybeis vehuntur: hi enim tribus horis magis perspirant, quam in calido aëre sex horis transpiratione amittitur: aëre enim frigido vasa constringente, fluidissimum tantummodo exit, solidis præterea in fluida nimium agentibus, humores attenuati contra vasa apprimuntur, & per poros urgentur; quo fit, ut brevi tempore, continua pressione multis humoribus amissis, animi deliquium cum morte sæpe sequatur. Refo-
cillationis loco spiritum vini, sed non auspicato, his præbere solent, utpote spirituosum & cito exhalantem; cum talibus difficilis concoctionis alimenta potius conducerent, tanquam solidorum nisum in fluida retardantia, & naturæ vim in se convertentia. Quam rem Cell. HALLERVs l. c
fusius docet.

§. XI.

De reliquis causis Præter causas §§. proxime antecedentibus allatas, *causis buc* etiam aliæ adhuc considerationem merentur, quæ sub *spectantibus*. istis

istis aliquo modo continentur. Quo referuntur sequentes:

- I. Vitæ genus, quod aliis magis mobile est, aliis vero magis quietum; quorum prius ad transpiratio-
nis negotium est præferendum.
- II. Calor tam respectu aëris, de quo supra, quam ar-
tificialis.
- III. Vests, quibus bene obtegitur corpus.
- IV. Modica venus.
- V. Frictiones lenes, diuque continuatæ, quæ tran-
spirationi expedientiae admodum conducunt. G A-
LENVS tanti eas fecit, ut integrum de frictione
scripserit librum.
- VI. Balnea ex aqua tepida conficienda, quorum be-
neficio unius horæ perspiratio ad sesqui libram a-
scendit, nec subsequentium horarum transpiratio
a præcedente inhibetur.

§. XII.

Legitimus hujus excretionis status perfectissimam *Uſus infen-*
sanitatem præsentem esse, demonstrat: illa enim magis ſibilis per-
nos sublevat, quam omnes ſensibiles ſimul unitæ. Uſpirationis.
sum quoque habet ad flexibilitatem, mollitionem, re-
fectionem perdit, maxime quidem, ut papillæ nerveæ
humidæ, vivæ, ab objectis affici, aptæ ſint. conf. BOER-
HA AVII instit. med. §. CCCCXXXII. Illa particulæ
subtiliſſimæ, sanitati nostræ ad modum infestæ, ex cor-
pore eliminantur. Eadem in morbis acutis, malignis
maximæ eſt utilitatis; qui enim in illis curandis justo
tempore & fine ſanguinis commotione perspirationem
infenſibilem promovere potest, verum iis medendi ha-
bet

bet artificium. Etiam in morbis chronicis sanandis egregius ejus est usus. Cel. HALLERVS ad §. CCCCXXXIII. instit. BOERHAAV. de hoc illustri quondam medico testatur, eum in morbis chronicis omni alio auxilio facilius, quam perspiratione, frictionibus efficienda, carere voluisse. Verbo igitur ejus usum dicam: ad secundam valetudinem conservandam, & morbos averruncandos nihil tantum, quam hæc excretio facit.

§. XIII.

Causæ per- Causis perspirationem hanc promoventibus perspirationem tractatis, nunc ad illas deveniendum est, quæ eandem insensibilem sufflaminare solent. In duas vero causæ hæc abeunt impedientes classes, istarum scilicet, quibus in defectu, & earum, quibus in excessu hæc excretio peccat. In priorum censum veniunt

I. Animi affectus ingrati atque nimii, v. c. terror, quo peripheria constricta, humores versus interiora pelluntur, facies pallet, & præcordia angustiam atque oppletionem patiuntur; qua de causa in ejusmodi casu æqualis humorum distributio & promovenda transpiratio indicatur.

II. Vita sedentaria, qua dyscrasia humorum lenta, mucida, spissa introducitur; illi perspirationi minus apti redduntur, & sic stagnationibus ac obstructionibus ansa præbetur.

III. Ad crebriores sanguinis ebullitiones dispositio ac consuetudo, qua æqualis humorum distributio & ad secretiones proportionatus eorum motus impeditur.

IV. Aër humido-frigidus, qui non solum peripheriam

riam nimis relaxat, sed etiam humiditatibus recipiendis abstergendisque minus est idoneus.

V. Ipsum frigus, absente corporis motu; eo enim constringitur peripheria.

VI. Somnus corpore nudo carptus, qui transpirationem suppressumendo morbos inducit maximos, e. g. dysenteriam &c.

VII. Suppressi sudores in genere, qualis v. g. rusticis tempore messis, postquam in labore desudaverunt, vespera sub frigida, rejectis vestimentis, contingit; nec non tenellis infantibus, si ab improvidis matribus vel nutricibus, sudore madidi, ex lectione sumuntur, & liberi aëris injuriis exponuntur.

VIII. Inordinata viatus, ratione quantitatis ac qualitatis, ratio: respectu prioris nimia voracitate vel abstinentia paccare possumus; ut ingestis non respondeant egesta. Ratione qualitatis, potulenta nimis saturata, carnes pingues, lardum & pingua in genere transpirationis negotio obsunt, hæc enim minima vascula obstruunt, & extus admota, eandem ob causam, inflammationem producunt. Sic observatum est, carnem suillam & boletos triente minuere perspirationem. De ostrearum esu quoque constat, illo huic excretioni notabile damnum inferri.

IX. Omnes reliquæ excretiones magis auctæ eam minuere solent: sic purgationes per alvum una libra fæcum fluidarum ejecta, duas retinent, quæ perspirassent; quare alvus ducenda non est, nisi

malum in primis viis hæreat, vel humorum motus sit minuendus.

X. Etiam vomitus perspirationem divertit.

§. XIV.

*Ulterior
causarum
perspiratio-
ni infesta-
rum enume-
ratio.*

In excessu, peccans peripherica excretio, seu perspiratio insensibilis in diapnöen imo sudorem mutata etiam vitiosa est, & legitimæ transpirationis atque inde pendentis sanitatis turbationem post se trahit, quod infra uberior ostendam, nunc vero causas huc pertinentes enarrabo. Sunt vero

I. Calor magnus sive atmosphæricus sive artificialis, quo sudor & inde ortum trahentia consectaria provocantur.

II. Aromatum usus uberior, quo ad sudores dispositioni sternitur via.

III. Motus corporis justo major, cuius ope etiam sudor cietur, & subsequente quiete atque refrigeratione, perspirationi insensibili ponitur obex.

IV. Ergo ipse sudor: nam hoc aucto, ampliatisque ejus vas, necessario perspiratio minuitur, ejusque vascula comprimuntur, quæ vas sudsantibus vicina atque teneriora esse videntur. conf. BOERHAAVE VII instit. med. §. CCCCXXXIII. Quibus addi potest, sudore crassa expelli, quæ, interata circulatione attenuata, novam perspirationis materiam suppeditare potuissent. Idcirco illustris quondam BOERHAAVE l. c. §. CCCCXXV. repte inquit: sudorem in corpore sano vix adesse, nisi peccato sex rerum non naturalium.

V.

V. De carnium juribus experientia quoque ostendit,
illa per sudores abire esse solita.

VI. Sanguis solito magis dissolutus in quibusdam
morbis, e. g. in sudore Anglicano, phthisi &c. pul-
monibus in hoc morbo læsis, alias sanguinem te-
nuem in solidos globulos cogentibus, aquosam
chylus retinet indolem, & totus liquidus undique
diffuit. De qua re Cell. HALLERV ad §.
CCCCXXXIII. instit. med. BOERHAAV. hæc ha-
bet: in phthisi remedium pulmonum vicarium
est equitatio, ea enim opponit corpus aëris motui,
unde idem in vasa pulmonum effectus sequitur,
qui fieret, si aér redderetur gravior; idem enim
est pulmoni, sive quadruplo ponderosior sit aér,
sive quadruplo celerius moveatur, tum vis suc-
cutiens innumerabilibus vicibus humores contra
vasorum parietes urget; & hoc unicum Sydenha-
mii arcanum fuit.

§. XV.

Perspirationem insensibilem sufflaminatam esse, *Designis vi-*
omnium membrorum lassitudo, capitis dolor, pecto-
ris angustia, actionum animalium languor ac reliqua-
rum actionum in corpore turbatio, nec non alia signa, *spirationis;*
aliis morbis communia, docent. Periphericam autem
excretionem in excessu peccare, sudor diutinus, ni-
mium corpus debilitans atque in sensus satis incurrens
manifestat: Ergo non est cur his diutius immoremur.

§. XVI.

Quanto majora sanitatis emolumenta ex transpi- *De turbat*
ratione legitime succedente haurimus, tanto majora *transpira-*
C 2 *tionis insen-*
damna

sibilis effe- damna ejus infert suppressio, quorum considerationem
etibus. pertractandorum nunc postulat ordo. In genere au-
tem monemus, vix ullo tempore prohibitam transspi-
rationem magis esse extimescendam quam vernali atque
autumnali. Suppressa vero hæc perspiratio corpus ad
gravissimos morbos præparare, eorumque nuntius ef-
fe solet. Testes hujus rei sunt

I. Febres, ab intercepta transpiratione originem du-
centes. v. c.

a) Synocha, perspiratione enim quacunque ex
causa cohibita, sanguis cum impetu versus
interiora vergit, ibique congestus ac stagnans
nervosas & fibrosas moleste afficit partes.
conf. HOFFMANNI *Med. Syst.* T. II. §. V. pag.
105.

b) Cholericæ febres, epidemice interdum grassan-
tes; quando enim succi sulphureis particulis
scatent, & earum per poros exhalatio inter-
cipitur, intus manentes, intestinum motum
fuscitando, febrem accidunt. vid. l.c. §. VIII.
p. 112.

c) Continuæ.

d) Tertianæ duplicatae.

e) Febres exanthematicæ, quæ plerumque verna-
li tempore incidunt. conf. CEL. JVNCKERI *con-
spct. theor. pract. Tab. 97. n. IV. p. 3.*

II. Dysenteria, quæ illos in primis aggreditur, qui
per diem vehementius calefacti, & sudore diffluen-
tes, auram frigidam corpori minus tecto admit-
tunt.

III. Diar-

- III. Diarrhoeæ biliosæ. vid. HOFFMANNVM *l. c.*
- IV. Motu febrili imo convulsionibus infantes quoque corripi solent, quando sudores in illis improvide repelluntur.
- V. Rheumatismi in cervice, humero, scapulis, sterno, thorace, dorso.
- VI. Inflammationes. conf. Cel. JVNCERVM *l. c.*
- VII. Asthma, a materia acri, subtili, caustica, nervosis præcordiorum partibus incumbente, ortum fumentia.
- VIII. Tussis, quæ, ingruente frigore, multa subiecta divexare solet.
- IX. Coryza & gravedo.
- X. Arthritici dolores. vid. Cel. HOFFM. *med. syst. T. II. §. V. pag. 317.* qui, teste experientia, subiecta etiam juniora, sanguinea, improvide admisso frigore, corripere soliti sunt.
- XI. Hinc quoque Podagra, teste eodem HOFFM. *l. c. §. XXIII. pag. 344.*
- XII. Varii morbi exanthematici, vel affectus cutanei, pro ætatis ac subiectorum diversitate. e.g. scabies, crusta laetæa &c.
- XIII. Denique cachexia, in quo malo corpori nostro ingenerando magnam habet vim prava aëris, maxime frigido-humidi intemperies, corporis peripheriam constringendo aut relaxando insensibilis perspirationis negotium turbans.

§. XVII.

De nocivis suppressæ transpirationis effectibus sat
tis dictum sit, nunc etiam nimis auctæ consequentia di- *Ulterior
turbatæ
transpirati-
onis effectu.*

um consideramus. Quando peripherica transpiratio in sudorem degenerat, pro phænomeno præternaturali omnino est habendum; interim si modo molestus, non vero debilitans est sudor, potest ferri: ubi vero nimis & diutinus & valde debilitans est; tunc non periculo vacat: utiles enim quoque excernuntur humores, atque vires consumuntur. Sice g. in hecticis ultimis diebus prorumpentes nimii sudores statum conclamatum designant. Etiam in moribundis omnes valvulae vasorum sudoriferorum & omnes cutanei sphincteruli resolvuntur, & exuberando effluunt humores.

§. XVIII.

Transpiratio insensibilis impedita therapeia. Primo fugiendæ sunt omnes causæ excretionem hanc periphericam impedientes v. c. animi affectus insibilis, grati, vita sedentaria, crebrior sanguinis ebullitio, aër humido-frigidus, frigus sine motu, somnus non bene tecto corpore, suppressi sudores, inordinata vietus ratio, nimium reliquarum excretionum augmentum &c. de quibus §. XIII. uberior actum est. Dein iis rebus diligenter studendum, quæ causam bene succedentis transpirationis insensibilis in se continent, e. c. gratis animi affectibus, aëris sicci & moderate calidi admissioni, congruae diætæ usui, somni & motus legitimi, balneorum, frictionum, temperati caloris &c. fruitioni; quæ omnia §§. X. XI. docent. Tertio in morbis ubi perspiratio impedita est, e. g. in sudoribus suppressis, anxietatibus, imo commotionibus febrilibus, illa bene promovetur.

a) Quieta corporis continentia,

b) Usu

- b) Usu Essent. Alexiphar. temper in refracta dosi
e. g. gutt. xx. ter vel quater de die exhibendæ.
- c) Pulvere ex nitro. absorb. quodam & antim.
diaph. parato.
- d) Potu calido ex Thée Caffée, vel infuso herb.
scordii &c. præparato; tali potu diligenter
propinato, mirum, quantum in eismodi mor-
bis præstari potest.
- e) Venesectione tempestiva in morbis acutis tran-
spiratio invitari, & morbi atrocitas averti
potest.
- f) Essentia Cascarillæ, quæ se in transpirationis
negotio egregie gerit.
- g) Vesicis aqua calida repletis, & in costarum &
hypochondrii regione in utroque latere ap-
plicatis.
- h) Balneis, quæ in chronicis malis egregios edunt
effectus.

Porro observamus, iis qui difficulter admodum per-
spirant, radicem ari, tamquam incidens quid, cum vi-
no vel aceto, ceu temperante, exhibitam, conducere.
Denique notamus infantibus transpirations suppres-
sionem perpeccsis moderato calore externo, interne ab-
sorbentibus fixis, succurrendum esse, exhibita nutrici
insuper Eff. Alexipharca. conf. Cel. JVNCKERI *Consp.*
theoret. pract. Tab. 97.

Schol. Remedia calida M. S. commoventia e. g. olea
destillata, sive volatilia, sive empyrevmatica, Essen-
tiæ calidæ, hic exulare debent. Sic etiam regi-
men nimis calidum nocet.

§. XIX.

Excretionis periphericae in excessu peccantis therapia. Quemadmodum in transpirationis suppressione causæ illam proferentes vitandæ erant, sic nostrum quoque est, causas sudorem nimium excitantes arcere e. g. calorem magnum, aromatum uberiorem usum, nimium motum, sanguinis solito majorem dissolutionem &c. Tunc autem officio nostro satifecimus, si iis rebus operam damus, quibus insensibilis transpiratio opacius promovetur conf. §§. X. XI. Quando vero sudores adsunt, tunc, si tolerabiliter procedunt, nec debilitant, sunt ferendi, sub tranquillæ corporis continentiae & sufficientis potus diluti usu. Sudoribus nocturnis, literatis, plethoricis, spongiosis, sanguineis subjectis contingentibus, optimè medemur, quando de die debitum corpori motum dantes, bene perspiramus. Quando autem sudores nimium defatigant, temperantia nitrosa per diem & gemmata cum leni anodyno versus somnum propinentur. conf. Cel. JVNCERI Conf. theor. praet. l. c. n. V. 2.

Schol. Adstringentia ad supprimendos nimios sudores canæ & angue pejus fugienda sunt, quia certam corpori affricant labem. Hoc non solum valet de sudore totius corporis, verum etiam de particulari e. g. manuum, pedum &c. Notum mihi est cujusdam juvenis exemplum, qui ex retropulso pedum sudore, mali moris ulcera circa genua nactus est.

§. XX.

Hæc fuerunt, quæ, speciminis inauguralis loco, de hac perutili materia in medium proterre, visum est. Plura de transpiratione insensibili experimenta lecturus, Sanctorii medicinam staticam, Keilii tentamen physiologiarum, aliosque auctores evolvat. Nos vero Deo pro concessis ad studia nostra viribus gratias agentes, huic labori imponimus colophonem.

T A N T V M.